

rentium potestatum conjunctio mixti imperii nomen pro-  
 diderit; Quo intuitu ante Valerium, potestas de capite ci-  
 vis dici potuisset imperium mixtum. Hinc porrò ratione  
 subjecti continentis nihil interest num civilem aliquem ac-  
 tum adscribas mixto imperio an Jurisdictioni, num dicas im-  
 perium inesse, servire Jurisdictioni, an Jurisdictionem Impe-  
 rio; Sic mixti imperii exemplum est Bonorum possessio,  
 de qua Prætor, utpote re civili & statuere potuit, & exequi  
 statutum, aliud exemplum est licentia dandi judicis quo-  
 niam Prætor & statuere poterat dandum judicem & re ipsa  
 dare. Sed inquis cur ergo Ulpianus in *d. l. 3.* eam tribuit  
 Jurisdictioni? Respondi modo nihil referre, tùm animad-  
 vertendum à fine hanc licentiam judicis dandi Jurisdictio-  
 nem appellari, non per se, Prætor enim ipse rebus cogno-  
 scendis impar subsidiaria judicum opera, tanquam medio  
 ad finem cui destinata erat utebatur, unde hæc licentia à  
 fine cui serviebat jurisdictionis nomen adscivir. Atque hæc  
 pauca ( Saturnina deliramenta nihil curanti ) de hac materia  
 dixisse sufficiat, exemplo Jurisconsulti *l. 17. ff. de jure Pat.*  
 rectiùs sentientium judicio salvo, Illi verò, sine  
 quo, omnis Jurisdictio manca,

Soli Gloria.

F I N I S.